



**Nic. Clenardi Epistolarvm Libri Dvo**

**Clénard, Nicolas**

**Antwerpen, 1566**

Nicolavs Clenardvs Literato Viro Ioanni Vasaeo.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70781](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-70781)

## NICOLAI CLENARDI

## EPISTOLARVM

## LIBER II.

NICOLAVS CLENARDVS LITERATO  
VIRO IOANNI VASAE O.

10 ALVE, mi Vasæ. Multa complectitur  
 epistola tua, quibus me hominem iam pla-  
 nè aridum inter ardentes Arabes difficile  
 est respondere: tamē tanquam aphorismi-  
 cam responcionem habeto. D. Fernandus  
 15 hos sex menses præscripsit assequendæ Cathedræ; id li-  
 cet nec ego prædixeram, tamen conabor quid possim  
 efficere: certè de ipsa Cathedra nihil despero, etiam si  
 omnes amici destituerent. Largitus est mihi Deus quo  
 aliquid valebam Louanijs; puto vbi in publicū prodi-  
 20 ro, non defuturos amicos plurimos, etiam eos quibus  
 nondum de facie sum cognitus. Itaq; quod identidem  
 tibimur muranti respondere solebam, id multò certio-  
 re iam spe replica, nos felicissimè in Hispaniam venisse,  
 tantùm Deus incolumentatem seruet. Abstine verò istis  
 25 tuis nugis & adulationibus, vt te clientem iam voces,  
 habebimus omnia communia. Iam enim præfigio ani-  
 mo & des communes mensamque communem, & Sal-  
 manticensim conuictum. tu tantum interim quāto me  
 iunior es, tanto ad omnem molem molestiarum animo  
 30 sis infrautiore. D. Prætori scripsi, & gratias, vt de-  
 bui, egi; de filio omnia, spero, euenient ut volumus. ser-  
 uabitur ad tempus apud me, vt, vbi tu veneris, in do-  
 cendi munere succedas. Ignoscet quod tam facile tua  
 fide in meis rebus vti voluerim. ne dubites, ante sex  
 35 præscriptos mēses aut numerabo pecuniam, aut habe-  
 bo Cathedram. Quod scribis id distulisse solutionem,  
 nescio quid velis, sed id credo est epistola D. Marci.

H 3 Ad

Ad Hammoniū scripsi de rebus meis, sed de libris quod  
ais in calce literarum nihil planè memini, negligentia  
aut obliuione potius factum est. Aliud erat, quod ipse  
quoque maximè voluisse, ut tua Hebræa Biblia ad me  
deferrentur, id curato proximo tabellario. De La-  
tinis literis te hortabor, quod te videam futurum ali-  
quando Cathedraticū Salmanticensem. Sed in ista æta-  
te dū licet, valeat iam neotericus iste tuus Deus, & Ci-  
ceronem aut Liujum legit, satis nactus es istius popu-  
laris loquentiæ. Hosti fidem seruandam etiam nunc di-  
co. Ego certè si vocatus fuisssem, non denegasssem. Ob-  
dura, tentabimus aliquid, ut tandem gaudeas. Saltem  
istam maculam effugias, ne fugisse videaris. Habes cre-  
do ad omnia. Cūm videam iam statum rerum mearū,  
etsi tenuium, tamen facile intelligo minus mihi futurū  
fuisse boni, si, dum ego volebam, hanc rupissem com-  
pedem. Itidem tu facito, fata viam inuenerunt, bona  
sunt ad quæ tua quoque te fata ducunt. Bene vale, mi-  
Vasæ. Salmanticæ xvi. Februarij.

NICOLAVS CLENARDVS LITERATO  
VIRO D. IOANNI VASAEO AMI-  
CO SINGVLARI.

**S**ALVE chariss. Vasæ. Scripsi ad te nudiustertius  
non dum acceptis literis D. Fernandi. Heri præter  
spem allatæ sunt ad me. Certis legibus permittit me Do-  
minus permanere Salmanticæ. Conabor ut hanc Ca-  
thedram assequar; id enim & D. Fernando, & mihi ho-  
norificū maximè fuerit. Egi apud eum de libris ad me  
mittēdis: quos si nuper habuisssem, iam bonam accep-  
sem presentem pecuniam, iamq; illi (quando ita statuit)  
numerarem quinquaginta ducatos. Sine arca & rebus  
meis, nec illi soluere possum, nec me ut volo ad istam  
offerre Cathedrā. Rogo ut meo nomine huius summæ  
sis fidei usor, statim post acceptam capsam, missis pecu-  
niis dissoluam fidem tuam. Valde mihi placuit domini  
senten-